

**Dissertatio medica inauguralis de hydrocephalo acuto ... / eruditorum
examini subjicit Joannes Gulielmus Barry.**

Contributors

Barry, John William.
Woodforde, James
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Edinburgi : Excudebat P. Neill, 1823.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/a8jzw9wq>

Provider

Royal College of Surgeons


License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome
collection**

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>



DISSERTA

INAG

HYDROCEP

ANNUENTI

ET SOCIETATE

D. GEORGI

ACADEMIE REGI

ANNUENTI SENATU

NOBILISSIMAE FACUL

Pro Ora

SCIENTIARUM IN MEDICIN

RITE ET LEGI

CAUSAM

JOANNES GU

KALENDIS AUGUSTI

EDM

RECUS

(10.)

No 10

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
HYDROCEPHALO ACUTO;

QUAM,
ANNUENTE SUMMO NUMINE,
EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,
D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.
ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON
AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET
NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JOANNES GULIELMUS BARRY,
Hibernus.

KALENDIS AUGUSTI, HORA LOCOQUE SOLITIS.



EDINBURGI :
EXCUDEBAT P. NEILL.
MDCCCXXIII.

DISECTATO MEDICA

IMAGINIBUS

ET

HYDROCEPHALO ACUTO;

DE J. GULLIVUS BARRY

AGRENTIS MEDICINAE

ET ANATOMIAE

D. GEORGI WALKER, M.D.

PROFESSORIS ANATOMIAE

ET

ANATOMIAE

IN ACADEMIA REGIA

EDINBURGH.

ADUSCUM IN ACADEMIA REGIA

EDINBURGH.

JOHANNES GULLIVUS BARRY

JOHANNES GULLIVUS BARRY

EDINBURGH.

EDINBURGH.

EDINBURGH.

EDINBURGH.

EDINBURGH.

PATRI MEO DILECTO,
GULIELMO BARRY,

DE
ROCKVILLE, IN COMITATU CORCAGIENSI,

ARMIGERO,

HOC OPUSCULUM,

SACRUM ESSE VOLO,

JOANNES GULIELMUS BARRY.

James Woodford Esq
with the Author's
best Compliments

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

HYDROCEPHALO ACUTO.

JOANNE GULLIELMO BARRY Auctore.

QUÆDAM PRÆFANDA.

NEC tempus sinit, nec animus meus fert, ut tentamen longum ineam, neque sane longo opus est, quippe minime ad alios edocendos, neque ad morbum perfecte describendum, scribo, sed ut legibus hujus Academiae, qua possum, obtemperem. Perpaucas paginas de Hydrocephalo in lucem edere statui: ut aliquid novi proferrem minime profiteor; morbus enim, de quo agitur, ex tempore quam primum medicorum attentionem sibi ven-

dicavit, auctoribus multis et eruditissimis descriptus est. Ex variis morbis quibus in pueritia nostra obnoxii sumus, pauci sunt (si ulli) qui frequentiores quam Hydrocephalus accidunt, et sane nullus est magis certus in lethali ejus cursu, et cui ars medica minus prodest. Multa alia, si necesse fuit, numerari possunt, quibus huic morbo medicorum diligentia directa fuit, sed pauca supra dicta satis videntur. Mihi non animo est de variis Hydrocephali speciebus tractare, nam si ita facerem, limites dissertationis inauguralis solitas transgredirer; disserere, igitur, solum de Specie Acuta decrevi.

HISTORIA MORBI.

HYDROCEPHALUS Acutus impuberes præcipue adoritur, et inter annum ætatis secundum et decimum; sed licet ita plerumque sit, tamen ante secundum vel etiam primum haud raro impetum facit: ferunt nonnulli medici exempla adolescentium, imo adutorum, eo laborantium. Quod ad sexum attinet, nulli parcere videtur, nam æque mares ac foeminas adoritur. Ab omnibus fere qui de hoc tractaverunt, cursus morbi in tria sta-

dia dividitur; et hæc divisio ex statu pulsus præcipue deducitur, et eandem methodum in hac dissertatione sequar.

Primi stadii symptomata sunt, cibi inappetentia, mœstitia, per duos aut tres dies ægritudo quædam, ita communis, ut nulla de parte quavis questus sit; dein capitis, præcipue sincipitis, supra oculos, dolor est, ab altero ad alterum tempus pertinens. Æger languet et facile fatigatur, otii, parvulis sese bene habentibus maxime ingrati, appetens; alvus eodem tempore irregularis fit, et abdomen tumet; sin autem supervenirit fluxus ventris, fæces primo coloris subviridis sunt, aut quæ in nigredinem vergant; alterne deinde etiam constipatur. Lingua sicca, arida est; cutis incalescit; vultus rubescit; tenditur caput et dolet. Pulsant arteriæ temporum; vomitus aut minuitur aut adest. Interea, partes corporis aliæ dolent, ut alvus, et membra; interdum dolor corrodit, quasi inter scapulas. Somnus vel nullus vel incertus est, et tumultuosa somnia adesse videntur. Oculi dolent luceque nocentur. Pulsus arteriarum multo magis quam in sanis frequentiores evadunt; sæpe ad centum et quadraginta

in minuti spatio exsurgunt, plerumque regulares et modice pleni.

Stadium Secundum.—Signa supra memorata plerumque per paucos dies permanent, sed nullum tempus certum pro duratione hujus ulliusve stadii morbi assignari potest. Serius citius prout res se habent, horum signorum multa plurimum ingravescent, et eorum nonnulla eodem tempore mutantur. Pulsus jam præter naturam tardior fit; vel sæpe, quod ad frequentiam attinet, naturalis, sed minus irritabilis quam in statu corporis tam morbofo fieri oportet; nonnunquam vero inæqualis fit et intermittens; corporis tamen calor plerumque augetur, eoque ut æger de illo multum conqueritur. Nunc apparet strabismus, parvulo duas res se videre querente, cum una tantum adsit. Oculorum pupillæ dilatantur; iris, ubi lumen etiam splendidam admoveatur, contrahere recusat; et aliquando hujus stadii finem versus, miser omnino cæcus fit. Quanquam vero iris luminis stimulo insensilis sit, æger tamen lucem splendidam manifeste abhorret; tandem somniculosus fit, dormientisque oculi non arcte clauduntur; aliquandiu respirare non apparet, et tunc ex imo ventre suspirium trahit; sæpe miserabiliter

luget, et manum ad frontem tenet; nonnunquam vero, quasi in magno cruciatu graves edit gemitus, sed in parte qua dolet non ostendit. Coma nunc supervenit, a quo miser difficillime excitari potest, et ubi excitetur in eundem statum brevi relabitur. In multis exemplis delirium adest. Genæ alternis vicibus rubræ et pallidæ fiunt, et aliquando una earum rubore suffunditur, altera vero pallida manet. Frons sæpe corrugari observatur, quanquam æger vultum placidissimum naturaliter habeat. Subsultus tendinum brachiorum et crurum supervenit, unum tantum corporis latus sæpe afficiens, et digiti manuum et pedum spasmodice contrahuntur. In hoc morbi stadio perstat cibi inappetentia, sed sub finem ejus, secundum QUIN, æger sibi porrecta avide devorat. Ingesta non diutius vomitu rejiciuntur; alvus astricta manet.

Stadium Tertium.—Nunc accedunt pulsus celerrimi et debilissimi; aliquando adeo debiles et frequentes fiunt, ut vix aut ne vix quidem numerari queant. Sensus tardiores fiunt, et mens pigrior; corpus penitus torpet; modo percurrit frigus aut calor, et æger moveri non vult. Respiratio difficillime, et cum stertore absolvitur. Lo-

quendi ægro non est potestas, et deglutitio ei difficilis fit. Motus artuum convulsivi augentur; os in alterum latus retrahitur, urina et fæces sine sponte redduntur. In orbe oculi volvuntur; æger potestatem videndi penitus amittet, si hoc non antea accidit. Sedet in vultu lethalis pallor, convulsiones accedunt, et mors cito evenit.

Hæc quam modò descripsi usitatissima est morbi facies, sed innumeris varietatibus comitatur in symptomatibus ejus (in duratione quoque multum variat), nam compluria signa eaque frequentissima haud raro desunt. Pauca de his nunc dicam. Interdum hunc morbum convulsionibus incipere, et per totum cursum ejus his comitari, invenimus. In quibusdam exemplis capitis dolores ac lucis intolerantia donec stadii postremi finem versus non adfuerunt; pulsûs varietates sæpe per totum morbi progressum non sese ostendunt. In duratione ejus variis casibus multum discrepat, enim aliquando cursum ejus currere in sex diebus, dum aliis durare in sex hebdomadas videmus. Exempla narrantur ubi in multas menses existit; sed hæc, meo judice, sub specie acuta enumerari non possunt.

DE CAUSIS.

INTER causas quæ a medicis ad hunc morbum prædisponendum enumerantur, Scrofula ab omnibus fere præcipua habetur; et multa exempla narrantur, ubi omnes liberi ejusdem stirpes certa ætate corripitur feruntur, quorum corporibus incisus, glandulæ mesentericæ induratæ, et alia signa scrofulæ inventa fuerunt. Professor THOMSON, in suo libro de Inflammatione, his verbis utitur: "There is much reason to believe that the disease termed Hydrocephalus, is in many instances produced by, or connected with, a scrofulous diathesis, for Hydrocephalus is well known to be a very frequent occurrence in scrofulous families. In some instances, Hydrocephalus has been found to be connected with scrofulous swellings in the mesenteric glands, and in others with the presence of scrofulous tumors or abscesses in the substance of the brain itself*."

* THOMSON on Inflammation, p. 161.

Tamen casus non desunt, quibus multi liberi ejusdem familiæ hoc morbo mortui sunt, et ubi in dissectione nulla scrofulæ signa apparuerunt. Ex his ita verisimile videtur, et scrofulam esse causam Hydrocephali, et prædispositionem huic morbo existere posse, ubi nulla signa illius adsunt.

Ætas tenera quam adulta morbo magis proclivis est; in senectute hæc fere delenda videtur. In pueritia caput pro rata ad reliquum corporis grandius est, et necessarie plus sanguinis per cerebrum transmittitur. Pueri natura hilares, et præscio ingenio præditi, hoc morbo sæpius opprimi feruntur.

Ex magno consensu qui semper existit inter organa chylopoëtica et cerebrum, certe licebit inter causas excitantes Hydrocephali, magnam horum perturbationem ante impetum existentem enumerare. Dr CHEYNE insistit, in hoc et multa hanc opinionem confirmant: Ille ita se exprimit: "While the disease is forming, there is generally a defect in the function of the liver. It seems to admit of only a scanty and imperfect formation of the bile, insufficient to stimulate the intestinal canal, which becomes torpid, and is

sometimes loaded with clay-coloured excrement. This state of the canal, in conjunction with the disordered condition of the liver, is perhaps one cause of the dyspeptic symptoms which are almost invariably present in the beginning of Hydrocephalus, although it is not to be denied that the vomiting, in the more advanced stage of the disorder, is more naturally explained (according to Dr WHYTT) by the stomach sympathizing with the diseased state of the brain*." Et postea: " In a great many cases it has appeared to me, that the series of diseased actions has commenced with the disordered state of the abdominal viscera. To this, it is not a sufficient objection to say, that the symptoms denoting a morbid state of the abdominal viscera are apparently of inferior importance to those which indicate a disorder of the brain; for it should be recollected, that it is a law in morbid sympathy, that the diseased sympathy apparently bears no proportion to the

* Vide pag. 47.

diseased action *." Variæ alteræ causæ enumerantur, ut excitantes : concussio et injuriæ capitis, quæ sanguinem isthinc determinant ; dentitio, pertussis, vermes, et varia exanthemata, enumerantur.

DIAGNOSIS.

SYMPTOMATA quæ Hydrocephalum initio morbi stipantur, aliis quibusdam morbis communia sunt: unde hanc affectionem ingredientem cognoscere difficillimum erit; sed in ultimo stadio, nullum morbum facilius discernere possumus. Dr CHEYNE ait : " Whatever difficulties there may be in the early, there is no disease more easily distinguished in the more advanced stages. Indeed, how can we mistake, when we see a child rolling his head on the pillow, or perhaps sawing the air with one hand, while the opposite side is palsied ; with a hectic on the cheek, his eye-lids half-concealing the pupil, and the eye deprived of its vivacity by the filmy covering of the cor-

* Vide pag. 51.

nea; the complete dilatation of one or both of the pupils, and the suffusion of the adnata; drawing a long sigh; frequently grinding his teeth; quite incoherent, or in a state of complete insensibility; with a burning fever on his skin, or sweat forced from every pore; and all these symptoms alternating with, and at last finished by, apoplectic breathing, and violent convulsions*.”

Verminatio et Dentitio sunt affectiones quæ cum Hydrocephalo confundantur, et solummodo in initio ejus. In iis qui Vermibus afficiuntur, abdomen majus tensum et tumidum est, et dolor, si ullus adsit, sede multum errat. Alvus in verminantibus plerumque soluta est; Hydrocephalo vero laborantibus obstipatio ita urget, ut medicaminibus ægre vinci potest; et ubi alvus his respondeat, dejectiones subnigræ et oleosæ sunt. Cibi appetitus in Hydrocephalo fere minuitur; in vermibus, contra, præter naturam augetur. In hoc tametsi pupillæ dilatantur, lucem tamen sustineant; sed in illo, intolerantia lucis adest. In vermibus labium superius alæque nasi manifeste

* Vide pag. 22.

turgidæ sunt, et earum partium pruritus molestus vexat, quod nunquam in Hydrocephalo observatur.

In Dentitione alvus vel liquida vel medicamentis catharticis facile solvenda est; os, nobis animadvertendum est, quod solito calidius est, salivam copiose effundens; gingivæ inflammatae, turgidæ et aliquantulo doloris afficiuntur. Infantes non ad frontem (ut in Hydrocephalo), sed in os digitos immittunt.

PROGNOSIS.

Si ab experientia omnium fere medicorum in hoc morbo sic dicamus, in nullis exemplis faustus eventus expectandus est. Exempla narrantur nonnullis, ubi sanatio accidit; sed medici valde increduli sunt num morbus Hydrocephalus fuit; nam cum experientia plerumque medicorum non consentit, et remedia quæ sanationem efficere dicuntur, in multis aliis occasionibus frustra adhibita fuerunt, consensu omnium prognosis nullo modo fausta sit. Tametsi prognosis quam minimam det spem, et æger in re tenuissima sit, ne-

quaquam desistendum, quo minus omnia tentaremus, quæ aliquid subsidii aut levamenti laboranti præmittant. Hoc fama nostra, hoc humanitas ipsa, deposcit.

SECTIO CADAVERUM.

SECTO cadavere, varia phænomena in variis casibus sese ostendunt. In nonnullis exemplis nihil videmus, nisi vasa cerebri, et præcipue venas, sanguine repletas; vasa duræ matris turgidæ; piam matrem, per omnes ejus orbes, valde rubram, ac tanquam inflammatam, parvulis cum maculis lymphæ coagulantis ornatam. In alteris exemplis, unus ventriculorum, interdum omnes, aqua vel sero pleni; raro etiam aqua inter membranas effusa invenitur. Copia plerumque unciis duabus ad sex usque variat; interdum autem amplior; sæpe tumores, et genere et magnitudine diversi, variis in partibus cerebri, præcipue in thalamis nervorum opticorum insunt, et hydatides in plexu choroideo. Massa medullaris tota fere mollior; modo albior solito est; imo in quodam, pulpam referens, reducta. In casibus hujusmodi longis,

præcipue congenitis, antequam suturæ clausæ fuerint, magna pars cerebri summota fuit, et aqua, secundum quosdam auctores, pondere amplior in locum ejus suffecta. Præterea, glandulæ colli, thoracis et abdominis, sæpissime tument.

PREVENTIO ET CURATIO.

NUNC quod fieri debet ad morbi preventionem et curationem dicere conabor; priorem autem potius quam posteriorem advertendo, nam ad illam, ni fallor, dirigendus est animus.

Remedia multa et varia variis medicis laudata sunt ad hunc morbum sanandum, sed, ni fallor, in ullo nec in omnibus simul confidere possumus, nam experientia fere omnium nobis edocuit quam inutilia sunt. Sanguinis missio, Epispastica, Cathartica, Hydrargyrus, et Digitalis, sunt præcipua; et de his seriatim pauca dicam.

In validis et robustis, et morbo adhuc recenti, *missio sanguinis* generalis apta et commoda fiat; plerumque tamen, sanguinis missio per hirudines vel cucurbitulam cruentem anteponeunda est; quod ægri robur non tantum minuat, et quod, ad

partem affectam adhibita, forsan efficacior sit. Arteria temporalis nonnunquam haud sine fructu ferienda est. Cavendum autem est, ne sanguinis missio nimia fiat, atque debilitatem augeat, ut quæ curationem impediat. Num repetenda sit, judicemus ab ægri viribus, pulsus statu, symptomatum vi, et effectu prioris evacuationis. Si Doctoris CHEYNE opinio, morbidam inflammatoriam cerebri actionem omni morbi cursu exstare, justa sit, sanguinis missio, si indicata, utiliter fiat ullo tempore, antequam distentiones apparuerint.

Epispastica. Hæc capiti imposita multum prosunt, et in primo aliisque morbi stadiis nunquam omittenda sunt. Totum caput vesicatorio amplo obtegi oportet, et postea promoveatur seri fluxus, applicatione unguenti pulveris meloës vesicatorii. Convenit autem primo etiam incursu caput ad cutem tondere, deinde aqua frigida cum aceto frequenter lavare, ante vesicatorii applicationem.

Cathartica in omnibus fere exemplis adhibenda sunt, nam functiones alvi læsæ inter signa molestissima sunt. Hæc multum prosunt; nam alvum stercore cumulado exonerando, statum profluvii intestinorum vitiatum corrigendo, et je-

cur ad bene muneribus fungendum restituendo; forsā, etiā, sanguinis profluvium versus intestina dirigendo, et copiam ad cerebrum missam hoc modo minuendo; cathartica, actionem auctam vasorum cerebralium diminuunt, et ita plurimum valeant, et haud raro cephalæam levent. Hæc ratio non reliquenda est donec fæces ad aspectum naturalem habent, et functiones alvi penitus restitutæ sunt: Submurias hydrargyri cum jalapa, gambogia, colocynthis, sales medii, et varia altera cathartica administrentur.

Hydrargyrus cum multo beneficio aliquibus medicis administrari dicitur. Nonnulli insuper affirmant, hoc remedium plerisque in casibus omnia morbi symptomata manifeste auxisse. Atamen, ut in morbo tam funesto nihil intentatum relinquamus, est ubi hoc remedium administrare oportet, stadio primo scilicet finito, signisque effusionis supervenientibus. Unguentum mane et vespere ad gingivas, et superficiem vel dorsi, vel interni femoris infricandum, simul submurias vel pil. hydrargyri interne adhibenda est.

Digitalis quoque a quibusdam profuisse dicitur; ejus tamen effectus, et præsertim in nostro

morbo, valde incerta est ; et ex peculiari operandi modo, cautissime usurpare necesse est. In adhibendo videre oportet, an signa secundi morbi gradus signis similia gignuntur ; quod nos ab utendo omnino deterreat, et sic omne bonum, quod ab eo effectum fuisset, prorsus amittatur. Pulsum tardum et abnormem digitalis reddat, at simul parvum et acrem : in Hydrocephalo, autem, mollis et inæqualis est ; et languorem qui ex usu digitalis oritur, cæcitas fugax, et vertigo aliquando comitantur ; ille autem in Hydrocephalo, stupori magis affinis est. In dosibus magnis pulveris vel tincturæ saturatæ utenda, et frequenter repetenda sit.

Hæc pauca mihi satis esse de curatione videntur, ut, ni fallor, longe utilius est medico attentionem ejus vertere ad prophylaxin. Huic summa cura danda est in familiis ubi prædispositio existere videtur, et ubi unus morbo corripitur. Maximam vigilantiam functionibus intestinorum necessarium est præbere, nam sæpissime ex his læsis oriri videtur. Cathartica, si alvus adstricta sit, usurpanda sunt. Si in urbe vitam degant, ad rus vel aliquem locum mari vicinum oportet

eos mittere. Denique, omnia quæ ad corpus corroborandum utilissima sunt, in maxima diligentia utenda sunt; et si ulla signa quæ Hydrocephalum indicant oriuntur, remediis potentissimis opponenda sunt.

F I N I S.



